

tatis Domini proxime adventuro^a. Promittentes sibi invicem dicte partes nominibus quibus supra stipulacione sollempni, quicquid per dictos arbitros et arbitratores simul et concorditer dictum, arbitratum, sentenciatum, declaratum et pronunciatum fuerit, inter ipsas partes attendere et observare et firmum et ratum habere et tenere et non contravenire aliqua ratione vel causa cum obligacione et ypotheca omnium bonorum suorum sub pena et in pena mille marcarum argenti ponderis curie regalis applicanda parti servanti per partem non servantem et tociens committenda, quociens contrafactum fuerit, et pro quolibet capitulo non servato. Qua soluta vel non soluta nichilominus predicta omnia et singula teneantur dicte partes attendere et observare. Et quod dictam sentenciam, pronunciacionem et arbitracionem non dicent nullam vel iniquam nec eam petent reduci ad arbitrium boni viri, renunciant dicte partes expresse et speciali pacto omnibus legibus, iuribus et rationibus eis vel alteri eorum competentibus vel competituris, per que seu quorum vigorem contra predicta vel aliquod predictorum possent modo aliquo facere vel venire. Hoc eciam adiecto pro efficaciori observacione omnium predictorum, quod si qua parcium contrafaceret, predicti ambo arbitri et arbitratores sint et esse debeant contrarii parti contrafacienti et favorabiles parti observanti totis suis propriis viribus et posse. Promittentes eciam dicte partes sub pena predicta, quod interim infra terminum compromissi et promulgacionis arbitrii et sentencie aliqua dictarum parcium alteri vel confederatis et subditis suis et amicis dampnum non dabit in rebus nec personis per se vel per aliquos confederatos, subditos vel amicos; intelligendo, si dampna darentur per predictos, haberi perinde^b ac si factum foret per ipsos dominos principales. Et in testimonium premissorum nos magister Henricus prepositus de Volkenmarcht et Nycolaus de Altemano legum doctor procuratores prefati sigilla nostra presentibus appendimus ad plenam roboris firmitatem cum annotatione testium, qui hiis interfuerunt, dominorum scilicet Bertoldi de Hennenberg et Friderici bûrgravii de Nuremberg comitum, fratris Cunradi de Gundolfingen magistri generalis ordinis domus Theuton(ice) per Alem(aniam), Hermannii de Lichtemberg cancellarii, magistri Ulrici Wildonis protho-notarii, Henrici de Hausen clerici dicti domini Ludowici regis Romanorum, Dytr(ici) de Pilichtorf marschalci et

a) 'adventura' Or. b) 'parinde' Or.